DE AESCHYLO, SOPHOCLE ET EURIPIDE, POETIS TRAGICIS, QUATENUS INTER SE DIVERSI SUAM...

Franz Josef Hermann Reuter



DE
AESCHYLO, SOPHOCLE ET EURIPIDE,
POETIS TRAGICIS,

QUATENUS
INTER SE DIVERSI SUAM QUISQUE AETATEM EFFINXERINT.

QUA DISSERTATIONE

AD

ACTUS SOLEMNES

IN

GYMNASIO AUGUSTANO
CATHOLICAE CONFESSIONI ADDICTO

PRIDIE CALEND. SEPTEMBRES ANNI MDCCCXXXI


RITE CELEBRANDOS

RECTORIS ET PROFESSORUM NOMINE

INVITAT

FRANZISCUS JOSEPHUS HERMANNUS REUTER,
GYMNASII PROFESSOR.

AUGUSTAE VINDELICORUM.
TYPIS ALBR. VOLKHARTII.





De Aeschylo, Sophocle et Euripide poetis tragicis, quatenus inter se diversi suam quisque aetatem effinxerint, dissertatio.

Omnes omnium gentium nationumque scriptores, ut verissime exprimunt ea, quae de rebus divinis atque humanis cogitaverint homines suae aetatis, nullo peculiari libro de his rebus composito, utque maximam scriptis suis vim habent in communem rerum conditionem; ita gravissimi praeclarissimique recte habentur. Non enim est mediocris ingenii, hominum aetatis suae indole indagata, rebusque, quae pertinent ad religionem, ad rem publicam, ad vitam privatam, perspectis, de aliqua re scribere ita, ut plus minusve pro argumento illa cognoscantur. Qua autem in re principes et summos exstitisse graecae latinaeque linguae scriptores, quis est, qui ignoret? qui cum orationis elegantia sententiarumque gravitate et ingenio, [1]) tum inprimis eo conspicui sunt, quod verissime res publicas atque privatas depingunt, ut quasi oculis eas conspiciamus.

Ac mea quidem sententia haud parvus in juvenes, qui literis student, fructus redundat, si in legendis utriusque linguae scriptoribus praeter alia multa hoc

[1]) Hor. Ep. ad Pis. v. 323 sq.

Grajis ingenium, Grajis dedit ore rotundo
Musa loqui, praeter laudem nullius avaris.

Cic. de Nat. deor. I 4. Tusc. Quaest. I, 3. Fin. III, 2. De Orat. III, 11.

quoque, ut spectent duce magistro, monentur, quatenus illi suae quisque aetatis indolem, et quo inclinent hominum de rebus publicis privatisque sententiae, verbis adumbrent. Hoc enim studium et ad ingenium valet acuendum, in quo excolendo magnopere elaborandum est in juvenum disciplina, et cognitionem atque intelligentiam rerum utilium auget. Quare non alienum esse putavi, talem mihi orationis materiam sumere, quae in ejusmodi rebus explicandis versetur.

Et quoniam, ut aliis multis, ita hac quoque arte praestant graeci scriptores latinis, ex illis tres, Aeschylum, Sophoclem Euripidemque ea, qua dixi, ratione explanandos delegi, quum non solum ingenio atque eruditione fuerint insignes, sed etiam ea in scriptis tractaverint, ex quibus omnem aetatis eorum, qua Athenarum urbs, Persis devictis, summum gloriae adepta fastigium, maximorum virorum celebritate florebat, conditionem facillime intelligamus.

Sed antequam ad eam orationem venio, quae est propria hujus disputationis, altius quaedam repetenda esse ex Homero, quasi ex communi fonte cum linguae graecae, tum universae, quae inde exorta postea est, humanitatis videntur, ut cognito rerum statu Homerici temporis haec recentiora, quibus vivebant poëtae tragici, melius perspiciamus.

Ac primum quidem Homerum legentes incidimus in hominum quandam dissimilitudinem, non illam quidem ex superstitione ordinumque ratione, qualis in orientalibus orbis terrarum partibus erat, profectam, sed ex opinione, singulis hominum generibus, quum validis essent corporibus et exercitatis, terrae, in qua viverent, imperium commissum esse a diis, modo ad regnandum et ad pugnandum aptissima essent. Cujus quidem rei cum in aliis multis apud Homerum locis, tum in illo inprimis exstant argumenta, quo in Phaeacum terra Ulysses generis sui nobilitatem corporis agilitate roboreque probat (Od. ϑ, 133 sq). Haec autem dissimilitudo, etsi maxima erat, non ita sejunxit ab homine hominem, ut nihil juris alter teneret. Immo vero non parva subditi cum regibus suis aequalitate interdum utuntur, id quod non minus ex ratione, quae Telemachum inter et Eumaeum subulcum intercedit (Od. π, sqq.), quam ex temeraria audacia, qua Thersites iste Graecos, invitis ducibus, domum redire jubet (Jl. β, 212 sqq), intelligi potest. Neque deinde hujus generis homines ita excelluissent, nisi, dum caeteri agris in terra haud ita frequenti colendis, negotiando operisque manuariis alimenta parabant, ipsi corporis exercitationi, ludis rebusque bellicis totos se dare potuissent.

Praeterea caerimoniis, oraculis, vatibus, eruditorum consuetudine, hospitio, rerum publicarum privatarumque consultatione, arte inprimis musica et cantu [1]) emergere eorum ingenia animosque oportuit, et ad eam evehi humanitatem, quae, ut maxime expers erat doctrinae, ita laetissimos fructus effecit. Atque postea hi principes, quum gloriam apud posteros maximi aestimarent, qua re eadem insignis est illa antiquitas, in eo potissimum elaboraverunt, ut sui memoriam quam longissimam propagarent, idque eo magis, quod hanc tantummodo vitam veram homines illius aetatis ducebant, quae ne maxima quidem alterius vitae beatitudine compensaretur. [2]) Unde factum est, ut mortuorum animas quasi umbras in inferis versari poëtae fingerent. Denique loci natalis patriaeque ita amantes fuerunt Graeci et priores et posteriores, ut nullo loco, nisi in patria, vitam vitalem esse arbitrarentur, et, quamvis remoti essent, communis tamen patriae vinculo cum popularibus suis conjuncti sibi viderentur. [3])

De Deorum autem natura, qualem quidem apud Homerum deprehendimus,

---

[1]) Wachsmuth: hellenische Alterthumskunde, Th. II. p. 376.

[2]) Hom. Od. λ, 487 sqq.

> Μὴ δή μοι θάνατόν γε παραύδα, φαίδιμ' Ὀδυσσεῦ.
> βουλοίμην κ' ἐπάρουρος ἐὼν θητευέμεν ἄλλῳ,
> ἀνδρὶ παρ' ἀκλήρῳ, ᾧ μὴ βίοτος πολὺς εἴη,
> ἢ πᾶσιν νεκύεσσι καταφθιμένοισιν ἀνάσσειν.

[3]) Wachsmuth in libro laudato Th. II., p. 7 haec dicit: In dem öffentlichen Leben, das die homerischen Gedichte darstellen, erscheint alles, was wir unter öffentlicher Zucht begreifen, als thatsächlich gegeben; als eine bedeutsame Grundlage zu künftigen politischen Gestaltungen aber das Stetige des Lebens, feste Wohnsitze, Ackerbau, Nahrung und Feldfrüchten, Brodbacken etc. etc. Kraft ist in Fülle da; Uebung derselben im Waffenthum, in Krieg, Raub und Jagd reichlich, aber ohne Maafs, und die Triebe ungestüm, die Bedürfnisse nicht mannichfach, aber dringend, der Verbrauch der Güter der äufsern Natur nur in wenigen Richtungen bedeutend. Der ethische Sinn hat noch ganz das Naturgepräge in seiner Ehrfurcht gegen das Alter, in dem Hervorheben der Persönlichkeit und in der blosen Ahnung objektiver Satzungen durch vielfältige Einmischungen des Gottesrechtes, wo das menschliche Walten ungenügend erscheint. Das Gottesrecht giebt die Stimmung für das ethische Leben. Absichtliche Ausbildung natürlicher Anlagen, die Anfänge der Erziehung, offenbart sich in der Dichtung von dem Aufenthalte junger Heroen bei dem Centauren Cheiron (Jl. λ, 831); Fertigkeit in Leibesübungen, in Führung der Waffen und in der Musik sind die Hauptbestandtheile der Ausbildung. Die Menge scheint nach homerischer Ansicht deren noch nicht theilhaftig geworden zu seyn, wenigstens aufser dem Bereich des Waltens von oben herab sich zu befinden.

satis erit, afferre, quae Wachsmuth [1]) et Creuzer [2]), doctissimi viri summatim dixerunt.

In hac igitur heroica aetate, quamquam multa in temporum decursu mutata sunt, omnia tamen ea, quae postero tempore propria sunt singulorum populorum ac gentium, indigesta continentur, Graecorumque ingenium ita mirum in modum est conformatum, ut, quae ex hac incomposita mole singula in singulas civitates profecta erant et emanarant, ea magis exculta perpolitaque in unum locum conjungerentur, unde factum est, ut urbs Atheniensium omnis humanitatis parens et existeret, et commune universae Graeciae prytaneum a gravissimo rerum scriptore diceretur. [3])

---

[1]) In libro laudato Th. II, p. 96: Die Ahndung Eines höchsten Wesens, als Quelle der Grundgesetze in der Natur der Dinge, mufste aus dem natürlich bedingten Gesetze des Gegensatzes aufsteigen, nachdem der Willkühr und Laune in dem Walten der olympischen Götter ungemessen Raum gegeben worden war. Diese Ahnung ist von den homerischen Gedichten an erkennbar. Eine oberwaltende, namenlose Macht steht als Schicksals-Nothwendigkeit, *Αἶσα* oder *Μοῖρα*, im Hintergrunde hinter dem Thun der Götter, das, wie bei dem Menschengeschlechte oft durch Aufwallungen der Lust und Unlust, durch Leidenschaft und Eindrücke des Augenblicks bestimmt wird. Doch wird der philosophisch tiefe Gedanke eines höchsten Weltgesetzes bei Homer einmal über das andere von der sinnlichen Auffassung des Götterthums überwältigt, die stete Ordnung der Dinge durch desultorische Willkühr der Götter zurückgeschoben oder aufgehoben, und der Schlüssel zur Lösung des Räthsels, wie beides sich geeint denken lasse, wird nicht gegeben. Vide, quae infra de fato Aeschyleo ab eodem hoc viro doctissimo dicuntur.

[2]) Symbolik und Mythologie der alten Völker, Th. II, p. 457 sq.: Diese *μοῖρα* und diese *αἶσα* sind auch Gewalten, denen selbst die Götter sich beugen müssen. Das Fatum in seiner weitesten Ausdehnung kennt zwar Homer nicht, er ahnet es aber, und hat das Gefühl des Schicksals, dessen Unverbrüchlichkeit er kennt. Dabei stellt er wieder unsterbliche Götter auf, die selbst dem Fatum nicht untergeben sind, und grofse Gewalt und Macht besitzen. Homer hat das Gefühl der schrankenlosen Nothwendigkeit, einer austheilenden und rächenden Gerechtigkeit und eines allwaltenden Schicksals — auf diesen grofsen Wahrheiten ruht gleichsam die ganze Handlung seiner zwei grofsen Gedichte — und andererseits hat er wieder Götter, die, so zu sagen, Unmögliches möglich machen, und häufig sind die Stellen, wo Jupiter die Schranken seiner Macht zu durchbrechen strebt etc.

[3]) Eustath. ad Jl. *β*, 546: *ὅτι δὲ καὶ ἄλλως πολὺ τὸ σεμνὸν αἱ Ἀθῆναι πάλαι ποτὲ εἶχον, δηλοῖ καὶ ὁ εἰπὼν τὰς Ἀθήνας Ἑλλάδος Μουσεῖον. ἔτι δὲ καὶ Πινδάρος Ἑλλάδος αὐτὰς ἔρεισμα καλέσας, καὶ Θουκυδίδης Ἑλλάδος Ἑλλάδα. καὶ ὁ Πύθιος ἑστίαν καὶ πρυτανεῖον τῶν Ἑλλήνων.* Thuc. II, 41. Aelian. Var. Hist. IV, 6. Cic. de Orat. III, 11: Sed hanc dico suavitatem, quae exit ex ore; quae quidem, ut apud Graecos Atticorum, sic in latino sermone hujus est urbis maxime propria. Athenis jam diu doctrina ipsorum Atheniensium interiit, domicilium tamen in illa urbe remanet stu-

Ad ea autem efficienda plurimum valuerunt Graecorum in Asia minori coloniae, quae propinquitate eruditarum Asiae, Aegypti, Cretae aliarumque civitatum ad humanitatem excultae semina melioris vitae rationis in Atticam terram propagarunt. Nam, ut Creuzeri verbis utar [1]), „quo tempore universa Europa barbariei caligine tenebrisque opacata et contristata jacebat, Asiae haud exigua pars, itemque Aegyptus, dudum collustrata sapientiae luce, laetissima artium incrementa ceperat. Atque ex hac terra qui primi in Atticam navigarunt coloni, tum sacrae flammae igniculis opacam, quae Graeciam obsidebat, noctem dispulerunt, omniumque rerum speciem exhilararunt. Itaque factum est, ut iidem Aegyptiis, Cretensibus et aliis tanquam suis praeceptoribus haud ita multo post laetissima nutricia quasi et minervalia persolverent.“

Sed longum est, et ab hac disputatione alienum, docere, qua ratione inde ab Homero usque ad id temporis spatium, quo Atheniensium civitas summorum hominum frequentia celebritateque florebat, Graecorum ingenium variis artium literarumque generibus conformatum sit. Itaque nihil dicam de Cyclicis illis poetis, de Peisandro, Panyase, Antimacho, qui deorum hominumque facta, temporis tantum ratione habita, sine ulla rerum conjunctione, narraverunt, et, quum Homerum imitari conarentur, longe ab eo abhorruerunt [2]). Ex his autem multum poëtae tragici sumserunt. Nihil de Gnomicis, de Solone cum caeteris, qui sapientes illo tempore haberentur, de Simonide, Theognide, Tyrthaeo, aliis, qui, quae ad emendandos populi animos valerent, gravibus de vitae moderatione sententiis pronuntiaverunt. Nihil de Lyricis, de Archilocho, Alcmane, Alcaeo, Mimnermo, Sappho, Anacreonte et aliis multis, qui, quum fragilia sint omnia humana atque caduca, tempusque fluminis instar praeterlabatur, vita hilari animo fruendum esse hortantur. Quorum sententias multas fabulis poëtae comici inseruerunt. Horatius autem totum hoc carminum genus Romam transtulit. Nihil de iis scriptoribus, qui deorum rerumque omnium originem naturamque perscrutati sunt, in quibus insignes fuerunt Pherecydes Syrius et Anaxagoras, quorum ille primus soluta oratione

---

diorum. Dicaearchus II, 41: *ὅσον αἱ λοιπαὶ πόλεις πρός τε ἡδονὴν καὶ βίου διόρθωσιν τῶν ἀγρῶν διαφέρουσι, τοσοῦτον τῶν λοιπῶν πόλεων ἡ τῶν Ἀθηναίων.*

[1]) In oratione de civitate Athenarum omnis humanitatis parente. Lugduni Batav. 1809.

[2]) Hor. Ep. ad Pis. v. 136 sqq.

ad res subtilissimas abstrusissimasque explicandas usus est [1]), hic praecipuus Periclis illius praeceptor exstitit. His autem priores Thales, Anaximenes et Anaximander versibus res illas tractaverant. Atque horum quidem sententias maxime imitati sunt poëtae tragici, atque in fabulis expresserunt. Nihil denique de iis λογογράφοις, quos vocant, de Hecataeo Milesio, Charonte, Xantho, Helanico et Pherecyde Atheniensi, qui ex generum familiarumque catalogis (γενεαλογίαις), quae prima historiae initia erant, singularum civitatum populorumque res gestas temporum ordine conservato descripserunt, unde justa historiae scribendae ratio, cujus princeps erat Herodotus, profecta est. Hi igitur Atticae eruditionis fontes, haec initia fuerunt, unde cum Graecorum, tum Atticorum inprimis indoles magis magisque erudita corformataque est, quae inde a Persis devictis usque ad id tempus, quo amissa libertas est, maximum, quod hominum efficere potest ingenium, protulit.

Ac tum demum bene intelligi potest atque constitui, quae scriptores inter et vitam communem intercesserit ratio, quantam illi in aetatem suam vim habuerint, quatenusque omnem ejus statum et conditionem expresserint. Qua in re illud maxime cogitandum est, statim post pugnam ad Marathonem commissam Atheniensium urbem non jam, ut hucusque, parvae cujusdam civitatis caput, sed universae Graeciae quasi umbilicum esse, ubi, quidquid proprium erat hujus nationis atque insigne, confluxit, omniaque artium literarumque genera conjuncta mirum in modum ad illam Graecorum contra Persas pugnam gloriamque inde comparatam varia ratione pertinuerunt. Ex quo factum est, ut omnia hujus temporis scripta speciem quandam animi atque ingenii, quo victores exstiterunt Graeci, exhiberent. Quo de ingenio si accuratius quaeris, rationem quandam et gravitatem cum totius nationis, tum maxime poëtarum facile invenies, qui hac virtute, ut cives sui legibus, rebus divinis moreque a majoribus tradito ingentem illam, quam tyranni agitaverant, molem, ita ipsi orientalium poëtarum mentem inconditam nullaque circumscriptam lege superaverunt.

Qua autem ratione a primo illo vigore et gravitate, quum scriptores veram naturam indolemque aetatis suae verbis consequerentur, progressum sit Graecorum ingenium atque perfectum, indeque et verbis et sententiis consenuerit atque defecerit, ex poëtarum, historicorum, philosophorum et oratorum scriptis vel maxime

---

1) Sturz Pherecyd. fragmenta.

potest declarari. Atque ex iis quidem Aeschylum, Sophoclem Euripidemque, quum in eodem artium literarumque genere versarentur, omnem Atheniensium illius aetatis vitam cultumque apertissime ante oculos nobis posuisse existimo. Quo etiam magis dolendum est, iniquitate temporum permultas et eorum virorum, quos modo nominavi, et aliorum multorum tragoedias deperditas esse.

Ante Aeschylum autem, licet Thespis et Phrynichus [1]) fabulas scripserint, et ab altero inprimis in scena exhibitam Athenienses spectarint expugnationem Mileti [2]), tragoedia nondum conformata erat, quam inchoatam inde a Thespide rudioremque adhuc ille erudiit eique dignitatem, adjutus civitatis suae munificentia, addidit [3]), qui, ut ipse ad Marathonem Salaminaque et Plataeam pro patria, pro libertate, pro deorum cultu servando decertarat, ita omnem et rei publicae et rerum divinarum rationem disciplinamque in scena exhibuit. [4]) Nam quo tempore illi *Μαραθωνόμαχοι*, et qui postea variis proeliis victores decertarant, e Graecia pepulerant Persas et ocellum lumenque Graeciae, Athenas, servaverant, eumque illis omnem Graeciae humanitatem, libertatem cultumque divinum ab ingruentis barbariei impetu tuiti erant; eo tempore omnes nihil nisi de rebus divinis publicisque cogitaverunt.

Quare Aeschylus, qui et ipse amantissimus erat patriae ejusque institutorum, in fabulis ea, quae ad sacra remque publicam pertinerent, tractavit, nulla ratione, neque delectationis, neque subtilium sententiarum, ex philosophia profectarum, habita, id quod vel maxime Euripidis proprium est. Is, quem Pythagoreum Cicero

---

[1]) Non mediocris hic poeta ingenii fuisse videtur, quod ex duobus apud Aristophanem locis patet, Ran. 1289 sqq. Av. 750 sqq.

[2]) Wachsmuth in libro allato II, p. 410 haec: Darstellung von jüngst erlebten Leiden, Weh und Jammer einer befreundeten und verbündeten Stadt schien so wenig passender Gegenstand einer festlichen dramatischen Aufführung zu seyn, dafs Phrynichus wegen dieser Entweihung des Festes eine Mult von tausend Drachmen zahlen mufste. Herod. VI, 21: *καὶ ἐζημίωσάν μιν, ὡς ἀναμνήσαντα οἰκήϊα κακὰ χιλίῃσι δραχμῇσι.* — Haec Atheniensium de hac fabula indignatio nescio an inde profecta sit, quod, quum ante dii tantummodo et heroes temporis antiquitate sacrati in scena exhiberentur, res civiles Phrynichus in ea tractaverit.

[3]) Hor. Ep. ad Pis. 278:

Post hunc (Thespin) personae pallaeque repertor honestae,
Aeschylus et modicis instravit palpita tignis,
Et docuit magnumque loqui nitique cothurno.

[4]) Ast: Grundrifs der Philologie §. 43.

(Tusc. Disp. II, 9) vocat, gravis praecipue sublimisque et grandiloquus fabulis inserit gravissima quaeque et grandissima, audacissimorum verborum luminibus aucta atque ornata [1]), quae aut cum occulto abditoque deorum cultu, mysteriis, cohaerent, quae mysteria eo ipso tempore maximam, id quod ex Herodoto quoque apparet, saluberrimamque in rem publicam vim habuerunt, et quibus, ut cum Cicerone, optimo omnis humanitatis judice [2]), loquar, nihil melius Athenae peperisse videntur, quum iis ex agresti immanique vita exculti ad humanitatem et mitigati fuerint: aut ad ingentem illam paucissimorum Graecorum cum innumerabilibus Persarum copiis pugnam pertinent, ad virtutem in ea exhibitam gloriamque et dignitatem inde comparatam: aut significant adumbratione imagineque adhibita, virum fortem ac strenuum propositique tenacem, nulla, ne maxima quidem vel naturae vel hominum vi impetuque depelli solida mente posse atque constantia; eos autem, qui potentia sua abusi injuria inferiores afficiant, quum aliquamdiu summo felicitatis splendore fruiti essent, inde tandem dejectos gravissimas insolentiae suae luere poenas: aut ostendunt, Graecis hominibus sanguinis et propinquitatis conjunctione, rerum divinarum usu cultuque, et patriae institutorumque amore nihil antiquius et fuisse semper et esse debere. Praeterea nulla rerum forensium, nulla calumniatorum, quos sycophantas vocabant, nulla denique sophistarum in dialogo exstant vestigia, quae non multo post Aeschylum in tragoediis, Euripidis praesertim, deprehenduntur.

Quod si in singulis, quae supersunt, fabulis probare volemus, in *Prometheo,* ut ab eo incipiamus, rem quandam extrinsecus oblatam, quam poëta tractaverit, frustra circumspicies; sed qua cogitatione omnium illis temporibus animi pleni erant atque perfusi, eam in hac tragoedia ante oculos ponit Atheniensibus, animi constantiam, ut supra diximus, nullis dolorum cruciatibus, nullis tyrannorum minationibus, nullis amicorum, ut cedat, vel precibus vel admonitionibus, nulla denique inimicorum irrisione deflecti, quo quidem, ut Jacobi, gravissimi viri utar verbis, dubito, num quid audacius atque sublimius ulla in scena exhibitum sit. Quam valde autem delectatus sit populus, etsi non id agebat poëta, ut delectationem affer-

---

[1]) Vid. locos, quos ex Quint. inst. Orat. X, 1, et ex Dionys. Halicarn. Vett. Script. Cens. Astius in libro supra laudato affert. A. W. v. Schlegel über dramatische Kunst und Literatur, Wien. Th. 1, p. 94.

[2]) Cic. de leg. II, 14. — Quanta autem eorum sanctitas serioribus quoque temporibus fuerit, illud indicio est, quod ea ne Nero quidem, quum in Graeciam venisset, violare ausus est. Suet. Ner. 34.

ret, magno hoc tyrannidis potentiaeque temerariae certamine cum animi libertate mentisque firmitate, nemini dubium esse potest, qui cogitet, Graecos paullo ante ingruentis barbarici impetum retudisse libertatemque suam a Persarum tyranno cum summa virium contentione tuitos esse. Quae vero animi magnitudo, ut magis eluceat, dissimilibus moribus jungitur. Ac primum quidem opponitur Vulcano, qui, jussus a Jove, vim exercet vel in affinem, neque, etsi, quod facit, improbat, resistere audet; deinde insolentibus Jovis ministris, *Κράτει* et *Βίᾳ*, in quorum animos misericordia non cadit; tum Oceani filiabus, quae, quum teneris sint animis, facile ad misericordiam commoventur; sed, licet injuriam et sentiant et ab ea abhorreant, adjuvando neque pares sunt, neque Jovis injuriam crudelitatemque palam reprehendere conantur; Oceano denique ipso, qui, humili mente et animo praeditus, quum neque ad auxilium ferendum animo vigeat, et temporibus serviens cuilibet tyranno gratificetur, ad grandia tamen et sublimia accedere studet, et prae se fert animi magnitudinem.

Neque vero ita tantummodo, ut diversa jungantur ingenia, animi vim gravitatemque Promethei illustrat poëta, sed comparatione quoque miserae illius Jonis instituta colloquioque cum ea habito. Quae quum eadem crudeliter a tyrannis vexaretur, perque orbem terrarum, etsi nullum in se scelus admiserat, agitaretur, aliam inde poëta sibi aperuit occasionem, qua tyrannorum ingenium naturamque, qualem quidem sibi finxerant Athenienses, denotaret, atque ita denotaret, ut, modo usque quaque servato, accuratius diligentiusque depingeret.

Simul et illud in animo habuit, ut hoc altero exemplo ante oculos poneret popularibus suis, nisi deesset animus, summisque adniteretur viribus, culpae expertem, quamvis vehementer ab iniquis premeretur, nunquam penitus superari. [1])

---

[1]) Schütz. ad Prometheum vinctum in excursu V: Quum primum poëta animum ad scribendam hanc tragoediam appulit, id potissimum egisse nobis videtur, ut Atheniensibus acerrimum tyrannidis odium inspiraret, verum libertatis, qua tum maxime fruebantur, amorem, tanti mali metu in eorum animis excitaret confirmaretque.

A. W. v. Schlegel in libro laudato I, p. 114: Der gefesselte Prometheus ist die Darstellung standhaften Leidens, und zwar des unsterblichen Leidens, eines Gottes. — Die Vorstellung von einer sich aufopfernden Gottheit ist in manchen Religionen, als eine verworrene Ahndung des Wahren geheimnifsvoll gelehrt worden; hier steht sie aber im furchtbarsten Gegensatz mit der tröstlichen Offenbarung. Denn Prometheus leidet nicht im Einverständnifs mit der weltregierenden Macht, sondern er büfst

Atque ut aliis, ita hac quoque re inter se differunt Aeschylus atque Euripides et aetates utriusque, quod apud illum ad civitatem omnia referuntur civesque non tam singulis hominibus rebusve, quam civitatis saluti prospiciunt; hic in rebus magis privatis versatur, singulorumque aut damna aut commoda spectat, unde patet, maximum illud augendae civitatis studium excidisse civium animis, ac sua quemque magis curare, quam civitatem. Quod quo magis habeas perspectum, comparandae tibi erunt duae tragoediae, quarum altera *Phoenissae*, altera *Septem adversus Thebas* inscribitur, in quibus eandem uterque poëta rem diversa ratione pertractat. Nam quae adversa Oedipo ejusque familiae per varias sortis vicissitudines acciderint, ea potissimum Euripides agit, spectatoresque Oedipi regis liberorumque calamitatem, non quae aut prosint aut noceant civitati, respiciunt; quam ob rem illum in scenam prodeuntem facit poëta. Longe aliam init rationem maximus Aeschylus, qui, Oedipi sorte liberorumque ejus postposita, urbem praecipue curat, periculumque a Polynice comparatum, neque minus religionem, quae ab impio Capaneo ejusque similibus ne violaretur, erat timendum.

Qua in re ne longus sim, et fusius pluribus dicam, quae pro hujuscemodi speciminis ratione obiter sunt attingenda, satis erit, ad illud advertere legentium animos, qualis sit finis utriusque tragoediae. Nam Oedipus apud Euripidem, ut per totam fabulam suis tantummodo et suorum rebus consulit, ita extrema quoque tragoedia suam deplorat calamitatem, non civitatis? [1]) Aeschylus autem, quum Thebanorum populum in scena exhibeat, de nulla re nisi de civitatis legibus ac juribus cogitantem, et, quod ab hostium externorum impetu liberatus sit, gavisum, nonne satis declarat, et se, et cives suos, rebus singulorum neglectis, in

---

seine Empörung gegen sie, und diese Empörung besteht in nichts anderm, als der bezweckten Vervollkommnung des Menschengeschlechtes. So wird er ein Bild der Menschheit selbst, wie sie mit unseliger Voraussicht an ihr enges Daseyn festgeschmiedet, ohne irgend einen Bundesgenossen, den gegen sie verschwornen unerbittlichen Naturkräften nichts als ein unerschütterliches Wollen und das Bewufstseyn ihrer hohen Ansprüche entgegen zu setzen hat etc.

[1]) Euripid. Phoen. 177 sqq.

ὦ πάτρας κλεινῆς πολῖται, λεύσσετ', Οἰδίπους ὅδε,
Σφιγγὸς ὃς μόνος κατέσχον τῆς μιαιφόνου κράτη,
νῦν ἄτιμος, αὐτὸς, οἰκτρὸς, ἐξελαύνομαι χθονός.
ἀλλὰ γὰρ τί ταῦτα θρηνῶ, καὶ μάτην ὀδύρομαι;
τὰς γὰρ ἐκ θεῶν ἀνάγκας θνητὸν ὄντα δεῖ φέρειν.

res publicas potissimum conferre cogitationes? [1]) Unde mirandum non est, quod per breve temporis spatium tam insignes exstiterint Athenienses, et quod, quum paucissimi essent, ingentes Persarum copias superaverint, immortalemque inde sibi comparaverint gloriam. Nam, ut est apud scriptorem gravissimum (Sallust. Jug. 10), „*concordia parvae res crescunt, discordia maximae dilabuntur*", in qua civitate omnes ad communem salutem adjuvandam inter se consentiunt cives, eam hostium vel maxima vis pervertere haud facile potest. [2])

Atque hoc ipsum, ut ad aliam fabulam transeat oratio mea, in tragoedia, quae *Persae* inscribitur, luculentis verbis Aeschylus civibus suis declarat. Namque victoriam, qua nulla major, nulla illustrior esset, hanc ob causam eos deportavisse dicit, quod leges valerent in civitate administranda et jura, quod bonam disciplinam omnes conservarent, quod publicae salutis tuendae studio regerentur. Quae sententia quo magis elucescat, quoque magis appareat Atheniensibus, quanto praestantior sit et utilior unius imperio libertas, amorque patriae et veterum institutorum inde profectus, opponit poëta summum arbitrium libidinemque unius, quam divina quadam veneratione subditi sui prosequantur. [3]) Quae quidem ante oculos in scena Atheniensibus proposita, quum jam ipsi per se, quam vera essent, perspecta haberent, magnum eorum patriae studium auxisse mirum in modum existimandum est, atque eo magis auxisse, quod victoriae apud

---

[1]) Aeschyl. Sept. adv. Theb. in fine:

Ἡμεῖς δ' ἅμα τῷδ', ὥσπερ τε πόλις
καὶ τὸ δίκαιον ξυνεπαινεῖ.
μετὰ γὰρ μάκαρας καὶ Διὸς ἰσχὺν
ὅδε Καδμείων ἤρυξε πόλιν
μὴ 'νατραπῆναι, μηδ' ἀλλοδαπῶν
κύματι φωτῶν
κατακλυσθῆναι τὰ μάλιστα.

[2]) Schütz. in excursu II ad Sept. adv. Theb. de hujus tragoediae consilio ita scribit: Quum Aeschylus alias etiam historiae Thebanae partes deperditis fabulis Lajo, Sphinge, Oedipo complexus fuerat, nihil aliud sibi in hac tragoedia proposuisse videtur, quam ut tristissimi belli inter fratres coorti, mutuaeque eorum caedis imagine spectatorum animos terreret misericordiaque afficeret. —

[3]) A. W. v. Schlegel in libro laudato I, p. 113 sqq.: Mit großer Weisheit schildert der Dichter hier und in den Sieben vor Theben den Ausgang der Kämpfe nicht als zufällig, wie er fast immer beim Homer erscheint, sondern durch übermüthige Verblendung auf der einen, durch besonnene Mäßigung auf der andern Seite voraus bedingt.

Salamina deportatae magnitudinem barbarus, qui Atosae Persarum reginae cladis acceptae nuntium affert, non homo graecus proloquitur. [1]) *Hujus autem narrationis* sententia praecipua versibus 400 — 404 [2]) continetur, quibus Atheniensium auribus cum quam maxime blanditum esse existimandum est.

Quemadmodum autem haec fabula in rei publicae forma praecipue patriaeque caritate celebranda versatur, et quae inde exorta est gloria; ita altera, quae *Supplices* inscribitur, res maxime tractat divinas. Qua quidem in fabula Aeschylus hanc, ni fallor, sententiam, quam cum eruditioribus communem habebat, explicare voluit, donec in re publica caerimoniae, mysteria, sacrificia, oracula, et quae omnino pertinerent ad res divinas, integra maneret vigerentque, eam salvam fore et moderatam, neque unquam ita a majorum institutis esse defecturam, ut plebis ferocia immanitasque summum in ea administranda valeret. Atque hac quidem re contineri hanc fabulam, quae non tam ficta ab Aeschylo, ut in scena exhiberetur, sed ex ipsa religione et sacris, quibus utebantur Athenienses, repetita videtur, ut in animis spectantium haec praecepta imprimerentur, manifestum est. Et re vera, ut cum Creuzero [3]) loquar, quamquam impurorum hominum flagitiosa perversitas posteriore aevo haec quoque instituta ad omnem nequitiam deflexerit detorseritque; illud tamen negari nequit, saniore disciplina rei Atheniensium publicae prospectum fuisse, ut his ipsis praeceptionibus ii, qui mentem sevocare a corpore sensibusque possent, de maximis rebus meliora edocerentur. Qui enim fieri potuerit, ut gra-

---

[1]) Schütz. in excursu I ad Persas haec: Nullum autem aliud fabulae argumentum deligere poterat, quod magis Atheniensium animos allicerет, quam Persarum ab iis nuper devictorum historiam; in quo sic versatus est, ut, ubicunque commode fieri posset, se auribus populi daret, ejusque laudis avaritiae satisfaceret. Omnino autem sic misericordiam theatri movit, ut animos utrimque a mollitie et immanitate abduceret; sic metum, ut eos a nimia audacia non magis, quam ab ignavia imbelliaque avocaret.

[2]) Pers. 400 — 404:

καὶ παρῆν ὁμοῦ κλύειν,
πολλὴν βοήν. Ὦ παῖδες Ἑλλήνων ἴτε,
ἐλευθεροῦτε πατρίδ', ἐλευθεροῦτε δὲ
παῖδας, γυναῖκας, θεῶν τε πατρῴων ἕδη,
θήκας τε προγόνων, νῦν ὑπὲρ πάντων ἀγών.

[3]) In oratione supra laudata.

vissimi viri, Isocrates [1]) aliique oratores plurimi ab his mysteriis laudandae civitatis patriae tam copiosam materiam desumerent.

Agamemnonem autem, si quis investigaverit, in hac quidem versari sententia, quae in omnibus Graecorum tragoediis deprehenditur, facile intelliget, homines, etsi libertate animi utantur, ac suas quisque res et conditiones ipsi constituant, tamen divino cuidam consilio aut fato obnoxios esse, quod vel dii immortales effugere non possint; [2]) sed aliud quoddam, praeter hoc, explicandum poëtae propositum erat, id quod ad rem publicam magis, quam ad res divinas pertinet, et exprimendo hominum illius aetatis ingenio magis inservit. Ac duplici quidem ratione hoc ille consequitur. Nam primum, ut in *Persis* hoc maxime prae caeteris agitur, ut ostendatur, quam excellat moderata legibus rei publicae forma, qua Athenienses utantur, Persarum regis imperio, nullis legibus circumscripto; ita in hac fabula satis aperte dicitur, Graecos hanc ob causam Trojanorum exstitisse victores, quod meliori cultu divino uterentur, unde incenderentur ad patriae amorem; victoriam igitur, quam Graecorum fortitudo de rudi barbarorum mole deportaverit, eandem esse deorum patriorum de peregrinis victoriam. Hoc neminem, qui mediocri tantum attentione animi priorem hujus tragoediae partem perlegit, potest la-

---

[1]) Panegyr. c. 5 et 6.

[2]) Prometh. 516 sqq.

Προμ. Μοῖραι τρίμορφοι, μνήμονές τ' Ἐριννύες.
χορ. Τούτων ἄρ' ὁ Ζεὺς ἐστιν ἀσθενέστερος;
Προμ. Οὔκουν ἂν ἐκφύγοι γε τὴν πεπρωμένην.

Wachsm. in libro laudato II, p. 97 de hac re ita dicit: Der Begriff eines höchsten Gebotes wurde zwar gewöhnlich an die Persönlichkeit des Zeus, als Obergottes, geknüpft, wie auch schon bei Homer geschieht, oder an die Gesammtheit der Götter; doch schwindet die Spur, dafs auch wohl ein namenloses Wesen, selbst ohne bestimmte Persönlichkeit gedacht, an die Spitze der Weltregierung gestellt wurde, keineswegs; sie ist oft in den Ausdrücken *θεός* (Aesch. Sept. adv. Theb. 616; Pers. 94 sq.), *δαίμων* (Aesch. Eum. 546), *τό θεῖον* (Aesch. Agam. 475) enthalten, und bei den Philosophen, namentlich Platon, ist, wo nicht Monotheismus, doch ein von der sinnlichen Hülle des Anthropomorphismus entkleidetes göttliches Wesen, als über der gesammten Fülle der Götter des Volksglaubens waltend, nicht zu verkennen. Atque in notis haec: Wenn nun aber in Aesch. Prometh. 516 — 518 die drei *μοῖραι* mächtiger als Zeus genannt werden, so ist diese Aeufserung des Prometheus aus der ganzen widersetzlichen Stellung desselben gegen den neuen Gewaltherrscher zu schätzen; also aus dem Charakter der poetischen Person, nicht als vom Dichter, wie in dramatischen Chören, allgemein ausgedrückter Gedanke. —

tere; nam quolibet fere in versu comprehenditur. Deinde tota vitae Agamemnonis ratione illud maxime docetur, tyrannum, si scelerate insolenterque imperio utatur, sanctaque violet praecepta et instituta, suam ipse perniciem sibi parare. [1]) Itaque altera parte hujus fabulae aperte praescribitur Graecis faciendum, ut cuilibet injustae dominationis rationi summa, qua possint, vi adversentur, neve ullam injuriam sibi inferri patiantur, quae liberos dedeceat homines. Atque hoc quidem cum ex aliis rebus, tum maxime ex choro, qui singularem quandam et propriam agendi rationem in hac fabula exhibet, intelligi potest. Nam quum caeteris in tragoediis populus, qui chori partes obtinet, usque quaque animo sit demisso, pio ac trepido, et morem singulis gerat, neque, aut vate, aut rege, aut viro aliquo egregio fortique invito et improbante facere quidquam audeat; longe aliam ejus naturam et agendi rationem hic deprehendimus. Aegistho enim, simul atque crudele exercere imperium, et contra jus fasque, ut voluntati suae obediant cives, postulare coepit, obstinato animo chorus repugnat, neque ullo modo adduci eo potest, ut moderatior fiat et orationem ad arbitrium regis accommodet; quin immo, ad extremam usque fabulam minis ejus ita non commovetur, ut eas despicatui ducat.

Ac ne justo longiores simus in his rebus tantae ubertatis exponendis, aliam poëtae nostri fabulam, arctissime et ratione et argumento cum illa conjunctam, tractemus; *Choëphoras* dico, in quibus inchoatam sententiam eadem, qua Sophocles in Oedipo rege et Coloneo, ratione poëta pluribus persequitur, uberiusque exponit. Nam Aegisthus tyrannus, qui jura divina humanaque nefario scelere polluerat, capitis poënam lueret ad expianda sacra oportuit, unde viam sibi poëta aperuit id explanandi, quod omnes hujus aetatis cives Athenienses sentiebant, ea, quae injusta essent, salva non esse, et serius ocius succumbere recto, neque stare posse imperium, nisi justum, a majoribus acceptum. Atque hoc quidem

---

[1]) Schütz in excursu I ad Agamemnonem: Itaque tota tragoedia pericula potentium, humanae fortunae fragilitatem, divinam in exigendis facinorum poenis justitiam praedicat.

A. W. v. Schlegel I, p. 102: Agamemnon ist allerdings nicht schuldlos; eine frühere That fällt auf sein Haupt zurück, nach den religiösen Vorstellungsarten der Alten lastete überdiefs ein alter Fluch auf seinem Hause: Aegisthus, der Urheber seines Untergangs, ist ein Sohn eben jenes Thyestes, an dem sein Vater Atreus eine so unnatürliche Rache nahm; und dieser verhängnifsvolle Zusammenhang wird uns durch die Chöre, besonders aber durch die Weissagungen Kassandra's lebhaft vor die Seele gebracht.

loco praecipue intelligi licet, quantam vim Aeschylus, quum haec salutaria et sublimia religionis praecepta exhibuerit in scena animisque mandaverit, in Atheniensium populum, penes quem summum erat imperium, quantam in totam civitatis administrandae rationem, quantam in legis lationem, quantam denique in jurisdictionem habuerit. [1])

Sed tenendus est modus in poëna repetenda. Itaque idem populus, quem chorus repraesentat, ubi primum Orestes, etsi a deo impulsus, modum excessit, ab eo ipso, pro quo susceperat vota, abalienatus acerrime eum impugnat, parricidioque detrectato praeclarissimum illud facit judicium, in quo *Eumenides* versantur, majus esse scelus, quam quod ab hominibus condonari possit. Itaque, ut eorum, quae justa sint atque injusta, compensatio fiat, qualem quidem requirit populus, dii adhibentur, quorum in juris disceptatione variatis sententiis, ut cum Cicerone loquar (pro Mil. c. 3), non solum divina Orestes, sed etiam deae sapientissimae sententia liberatus est. Qua in re non praetermittendum esse mihi videtur, quod subtilissimus elegantissimusque scenicae Graecorum poëseos aestimator verissime dicit. [2]) — Atque quo salubriorem haec fabula vim in Atheniensium rem publicam institutaque haberet, Minervam ipsam poëta praedicantem fecit (v. 671 sqq.), Atheniensium leges spectare illud, ut morum integritas ac disciplina servaretur, poenaeque ob caedem factam repetendae studium, quo quidem tenerentur barbari (vid. versus infra ex Euripidis Hecuba allatos 1106 sqq.), quum civium Atheniensium dedeceret humanitatem, amoveretur; neque humano has leges consilio, sed divino datas esse, quibus tuendis sanctissimum illud Areopagitarum judicium constitutum esset. Quam ob rem sapienter hoc Aeschylus fecit, ut terribili Eumeni-

---

[1]) cf. Choëph. v. 796 sqq.

[2]) A. W. v. Schlegel in libro saepius memorato I p. 108: Aeschylus hatte bei diesem Stücke aber auch politische Zwecke. Zunächst die Verherrlichung Athens. Delphi war der religiöse Mittelpunkt Griechenlands, und doch, wie tritt es in den Schatten zurück! Nur gegen den ersten Andrang der Verfolgung kann es den Orestes schützen, ihn nicht vollständig frei machen; dieſs ist dem Lande der Gesetzmäſsigkeit und Menschlichkeit vorbehalten. Er wollte ferner, und dieſs war die Hauptsache, als zum Heile Athens wesentlich, den Areopag empfehlen, einen unbestechlichen, jedoch milden Gerichtshof, bei dem besonders das weiſse dem Verklagten günstige Steinchen der Pallas eine Erfindung ist, welche der Menschlichkeit der Athener Ehre macht. Der Dichter zeigt uns, wie aus einem ungeheuren Kreislaufe von Verbrechen eine Anstalt hervorgeht, die ein Segen für die Menschheit wurde. —

dum pompa, et praecipuis Athenarum diis tutelaribus, Minerva atque Apolline, in scena exhibitis, illa juris instituta et solemnia sacra fictis deorum fabulis oraculisque priscis sacrae poeseos ope adjungeret, id quod ex versibus infra allatis maxime patet. [1])

Sed nihil amplius de Aeschylo ejusque tragoediis. Nam satis mihi multa verba fecisse videor, ut intelligeretur, quemadmodum ille et civium suorum indolem mentemque de iis, quae ad res publicas atque privatas pertinerent, expresserit, et populares suos ad studium libertatis institutorumque veterum servandorum adhortatus sit.

Ejus granditatem excepit Sophoclis facundia, qui, quemadmodum Polycletus Sicyonius consummasse artem suam dicitur toreuticenque erudiise, Phidias autem aperuisse: ita hac ipsa aetate poesin, quam aperuerat quodammodo Homerus, suis numeris perfecit atque absolvit. Utque Polycleti canona imitando Lysippus exprimere studuit: sic ad Sophoclis aequaliumque imitationem optimus quisque posteriorum poetarum se composuit. [2]) Nam quod rude et incompositum in Aeschylo residebat, id Sophocles non minus fere sublimis et sermone et sententiis expoliit. In hunc autem unum summa omnia dii immortales, quae dari possent mortalibus, contulisse videntur. Natus enim in summo rei publicae flore a parentibus nobilibus iisque opulentis, diligentissima usus est educatione; atque ut valido erat corpore ac firmo, ita omnibus animi ingeniique dotibus erat instructus. [3]) Sed in hoc summo collocatus fastigio, nescio an vestigia cujusdam mobilitatis prodat, quae, post ingentes inde a Persis devictis progressus brevissimo temporis spatio factos, exorta in Atheniensium animis est. Quid? Orationem suam, ut Hermanni, viri doctissimi,

---

[1]) Eumenid. v. 676 sqq.

Πάγον δ' Ἄρειον τόνδ' Ἀμαζόνων ἕδραν
σκηνάς θ', ὅτ' ἦλθον Θησέως κατὰ φθόνον
στρατηλατοῦσαι, καὶ πόλιν νεόπτολιν
τήνδ' ὑψίπυργον ἀντεπύργωσαν τότε.
Ἄρει δ' ἔθυον, ἔνθεν ἐστ' ἐπώνυμος
πέτρα, Πάγος τ' Ἄρειος.

[2]) Verba sunt Creuzeri in oratione supra memorata.

[3]) A. W. v. Schlegel I, p. 118.

verbis utar, [1]) ita constituisse videtur, ut ea interdum jam in illam partem inclinet, quae propior est vitio.

Rei publicae autem ratio, quam dissimilis sit apud Aeschylum et Sophoclem, ex utriusque fabulis intelligi facile potest. In illius enim tragoediis omnibus rem publicam administrari ab optimatibus, qui cum religionis antistibus occultisque eorum sacris conjuncti sunt, animadvertes, et, quamvis magno libertatis ardore abrepti sint homines, optima tamen eos disciplina contineri, quam divino profectam esse consilio dicunt atque concelebrant. Horum autem nihil paene, vel admodum pauca apud Sophoclem inveniuntur. Nam singuli domini, si qui apud eum exhibentur, aut tyranni sunt, propria illa, qua Graeci utuntur, nominis significatione; aut ea tantum, quae populus jubet, exsequuntur. Id autem genus nobilium, penes quos summum sit imperium civitatis, nusquam apparet. Atque, quae rei publicae, eadem religionis est in utroque poëta dissimilitudo. Nam Aeschylus eam horribili quadam specie fingit, ad perterrendum magis apta, quam ad exhilarandum, et singula quaeque, quae ad eam pertinent, grandia sunt atque sublimia. Longe alia est apud Sophoclem, qui, ut in aliis omnibus, ita in hac quoque re simplicitate et suavitate excellit, ut Atticam eum apem veteres nominaverint. Itaque semper, vel ubi arcana significantur, et Furiarum horribilium mentio fit, sacrorumque eorum aeque formidolosorum, quin immo, ubi orcus ipse in conspectum vocatur, hilaritas quaedam obtinet atque celebritas. Eadem quum apud Aeschylum sit quasi propugnaculum insolentiae humanae rerumque novarum cupidinis, apud Sophoclem jam ea, quam magis magisque posteris temporibus praestat, facie exprimitur hilaritatis, exornandaeque vitae rationi et voluptati augendae inservit. Quod igitur Aristoteles (Poet. VI, 2) dicit, animi purgationem *φόβῳ καὶ ἐλέῳ* perfici, hisque absolvi tragoediam, apud Aeschylum magis *φόβος*, apud Euripidem *ἔλεος* valet; mediam autem viam ingressus est Sophocles, unde moderatio illa, quam *σωφροσύνην* Graeci vocant, exorta est. [2]) Sexuum autem rationem si quaeris, alia est apud Aeschylum, alia apud Sophoclem. Apud illum enim nullam fe-

---

[1]) cf. Praefatio ad editionem Trachiniarum.

[2]) Ast Grundrifs der Philologie §. 45 dicit: Euripides ist in Geist und Sprache, Stoff und Form seiner Tragödien der Gegensatz des erhabenen, kraftvollen Aeschylos. Und dieser Gegensatz des männlichen Aeschylos und des weiblichen Euripides erscheint im männlich weiblichen, harmonisch vollendeten Sophocles zur verklärten Einheit gebildet.

minae in rem publicam administrandam vim habent, neque rebus publicis magni momenti gerendis adhibentur, sed domesticis addictae negotiis una tantum cupiditate, eaque vehementissima, sive amore, sive vindicta sumenda, commoventur. Apud hunc autem eruditionis, qua eximia Periclis aetate feminas nonnullas excultas esse constat, vestigia animadvertimus.

Quod ut in singulis tragoediis investigemus, *uterque Oedipus* justi artificii ratione ita compositus est, ut cogitationem quandam, neque e totius aetatis ingenio, neque ex religione profectam, id quod apud Aeschylum fieri solet, sed poëtae ipsius exprimat, numen divinum, si quis superbia elatus suoque ipsius robore, animi atque potentia confisus resistere occultae illius voluntati conetur, frangere eum atque pervertere. [1]) Quam quidem sententiam exponendam in *Oedipo Coloneo* poëta ita persequitur, ut miser ille, non tam sua, quam facti culpa reus atque afflictus, non plane perdatur, sed, postquam multas virtutis probandae calamitates perpessas est, mortem divinitus oblatam quasi liberatorem ac vindicem malorum laetissime obeat. Atque hic et in *Ajace* hanc poeta sententiam, quae est apud Senecam, nescio quo in loco, exprimere videtur: „Ingeniis talibus mors remedium est, meliusque est decedere illis, qui nunquam ad se redituri sunt.“ Tale autem exitus genus ab Aeschylea ratione valde discrepat, neque ullo in loco haec de morte sententia apud eum invenitur. Nam, ut uno tantum utar exemplo, Prometheus vinctus, licet vehementissimis cruciatus doloribus, jam fulgure ac tonitru orto terraque motu concussa, ne his quidem terroribus victus, in Tartarum praecipitatur. Praeterea alter altera ratione deos institutaque Atheniensium sententiis peragendis adhibet. Aeschylus enim, ut Orestes a furiis vexatus liberetur, Apolline, Minerva Eumenidibusque utitur; Sophocles in Oedipo Coloneo, ut tandem aliquando erroribus ejus finis imponatur, Theseum arcanaque deorum inferorum sacra usurpat. [2]) Ac si quando Aeschylus idem, quod Sophocles, facit, atque in

---

[1]) A. W. v. Schlegel I, p. 125: Was aber dieser Fabel eine grofse furchtbare Deutung giebt, ist der wohl meistens dabei übersehene Umstand, dafs es eben der Oedipus ist, welcher das von der Sphinx aufgegebene Räthsel, das menschliche Daseyn betreffend, gelöfst hat, dem sein eignes Leben ein unentwirrbares Räthsel blieb, bis es ihm allzu spät auf die entsetzlichste Art aufgelöst ward. Diefs ist ein treflliches Bild anmafslicher menschlicher Weisheit, die immer auf das Allgemeine geht, ohne dafs ihre Besitzer davon die rechte Anwendung auf sich selbst zu machen wissen.

[2]) A. W. v. Schlegel I, p. 127 sq.: Der verschiedene Charakter des Aeschylus und Sophocles zeigt sich nirgends auffallender, als in den Eumeniden und dem Oedipus zu Colonos, da beide Stücke einen

una eademque re sive explicanda sive praecipienda uterque versatur, ita tamen inter se differunt, ut, si ad aliquam rem permovere animos velint, ille apertis justisque, ex deorum cultu ac caerimoniis, quae vigent, repetitis; hic reconditis quibusdam ac quodammodo tacitis praeceptis utatur.

Quemadmodum autem res divinas alter altera ratione in scena pro consilio suo adhibet, ita urbs quoque et incolae ejus multo magis diversi apparent. Nam illi, quum apud Aeschylum multis circumventi periculis, senum sacerdotumque consilio adjuti, et suis et deorum viribus servati exhibeantur, apud Sophoclem, omnibus malis depulsis, securitatem quandam animi et superbiam satis aperte prae se ferunt, et in theatro cupide occasionem sibi ipsis applaudendi suasque ipsorum et virtutes et vitia admirandi exspectant, qua re postea Euripides tam scite abusus est. Populus apud Aeschylum, si chori partes agit, modestum, obedientem trepidumque se praebet, neque rebus se immiscet gerendis, uno exemplo, de quo supra diximus, excepto; Sophocles autem, etsi illius aetatis, ex qua rem sumit tractandam, indolem retinere vehementer studet, tamen non solum populum Atheniensem in Oedipo Coloneo, sed Thebanum quoque in Oedipo Rege ita adhibet, ut studium ejus et suadendo et dehortando manifeste declaret.

Praeterea morum, mansuetudinis liberalitatisque haud parvum inter utrumque poëtam discrimen intercedere, ex his duabus maxime tragoediis facile intelligitur. Atheniensis enim populus, quum ad humanitatem magna doctissimorum hominum frequentia liberalissimisque studiis brevi tempore excultus magna urbanitate morumque elegantia uteretur, omnem crudelitatem et immanitatem aspernatus est, sapienterque Sophocles hoc fecit, ut res atroces, quales in scena exhibebat Aeschylus, inde amoveret. Itaque, quum alter rebus formidolosis atque terribili-

---

ähnlichen Zweck haben. Athen soll nämlich als der heilige Wohnsitz der Gesetzmäfsigkeit und der milden Menschlichkeit verherrlicht und abgebüfste Verbrechen ausländischer Heldenfamilien sollen auf diesem Gebiete durch eine höhere Vermittlung letztlich gesühnt werden; auch wird daraus dem Attischen Volke ein fortdauerndes Heil prophezeiht. Bei dem patriotischen und Freiheit athmenden Aeschylus geschieht diefs durch eine gerichtliche Handlung, bei dem frommen Sophokles durch eine religiöse: und zwar ist die Todesweihe des Oedipus, dem, da er durch das Bewufstseyn unwillkührlicher Verbrechen und langes Elend gebeugt ist, die Götter dadurch gleichsam eine Ehrenerklärung thun, als hätten sie es mit dem furchtbaren an ihm gegebenen Beispiele nicht gegen ihn insbesondere gemeint, sondern nur dem Menschen überhaupt eine ernste Lehre geben wollen.

bus percutere animos spectantium vellet, diversam viam alter ingressus blandissimis mollissimisque verbis ac rebus ad commovendos animos usus est, uno tantum fortasse loco in Oedipo Rege excepto, quum Oedipum oculis effosis in scenam procedentem faceret. Neque fortasse quisquam in illa antiquitate majorem Oedipo Coloneo pietatem prodit, cui, quemadmodum coeli vespertini serenitas campo, in quo paullo ante tempestates saeviebant, ita pax quaedam animique tranquillitas circumfusa est. Mirum quantum sonant, et, ut ita dicam, Christianismum redolent versus 498 sqq. [1]) Tum illud quoque observandum esse puto, in duobus Oedipis, licet Oedipi tantum persona atque fortuna animum nostrum teneat captum, eam hujus familiae partem, quae feminis continetur, haud parvum augendae exornandaeque fabulae habere momentum. Nec denique ab hoc loco alienum esse censeo, commemorare, quum illud versuum genus, in quo verba altercantium se invicem excipiant (diverbia), si non saepe, aliquoties tamen legantur, illam causarum forensium depravationem significari, qualem quidem apud Euripidem saepissime invenire possumus. [2])

Magis vero commutati Atheniensium mores in Electra declarantur, neque id ob hanc causam, quod primae partes delatae sunt feminae ingenti quadam animi magnitudine praeditae, qualem apud Aeschylum quoque deprehendimus, sed quoniam heroicae illi Electrae virtuti conjuncta dissimillima Chrysothemis non solum facit, ut magis emineat illa, sed etiam accuratam nobis imaginem summae animi teneritatis muliebris, qua populi ad summam exculti humanitatem et urbanitatem utuntur, ante oculos ponit. Deinde illud quoque inde apparet, quousque et magna eruditorum pars ad liberalitatem honestatemque progredi, et admodum pauci ad animi magnitudinem ac sublimitatem ascendere possint. Denique quum Athenienses gloria bellis, quae contra Persas gesserant, comparata elati libertate sua abuti seque ad insolentiam licentiamque convertere coepissent, haec vitia tangit poëta, multoque magis, quam Aeschylus in hisce versatur. Illud autem, quod et Plato et

---

[1]) ἀρκεῖν γὰρ οἶμαι κἀντὶ μυρίων μίαν
ψυχὴν τάδ' ἐκτίνουσαν, ἢν εὔνους παρῇ.

[2]) A. W. v. Schlegel I, p. 124: Doch gestehe ich, daſs ich eine besondere Vorliebe für das letzigenannte Stück (Oedipus zu Colonos) hege, weil es mir die Persönlichkeit des Sophocles am meisten auszusprechen scheint. Da dieses Stück überhaupt der Verherrlichung von Athen und seines Geburtsfleckens insbesondere gewidmet ist.

omnes Athenienses, qui meliora edocti erant de rebus humanis divinisque, saepe judicaverant, impunitatem summam esse omnium malorum illecebram, maximeque in perniciem praecipitare civitates, Orestes planissime dicit. [1])

Ajacem vero, si in hanc partem interpretabimur, satis acute subtiliterque exprimere intelligemus, maxima incommoda ex plebis insolentia atque abusu potentiae et in totam civitatem et in singulos redundare homines; quam quidem insolentiam Atheniensium optimus quisque per illud temporis spatium expertus est, unde maximum rei publicae damnum paratum esse constat. Atque ut in hac fabula vitae societatem consuetudinemque commutatam videmus; ita hoc quoque, idque vel maxime, in ea continetur, vitam hominum fragilem esse atque caducam, neque ante mortem beatum quemquam esse praedicandum, in qua Solonis illius eximia sententia saepe veteres scriptores, maxime Herodotus, versantur. Nostra autem in fabula aperte eam Chorus in fine pronuntiat. [2]) Vitae vero rationem, etsi ex Trojano bello repetita est persona primaria, longe aliam tamen hic esse, quam apud Aeschylum aut Homerum, apparet, atque ex iis potissimum locis apparet, in quibus Tecmessa, Ajacis uxor, prodit. Nam heroicam illam magnitudinem animi cedere humanitati morumque mansuetudini hominum eruditorum atque urbanorum, quis est, qui non videat? Quid? Nonne idem in Ulysse deprehenditur?

---

[1]) Elect. v. 1505 sq.:

χρῆν δ' εὐθὺς εἶναι τήνδε τοῖς πᾶσιν δίκην,
ὅστις πέρα πράσσειν γε τῶν νόμων θέλει,
κτείνειν. τὸ γὰρ πανοῦργον οὐκ ἂν ἦν πολύ.

[2]) Aj. v. 1397:

ἦ πολλὰ βροτοῖς ἔστιν ἰδοῦσιν
γνῶναι πρὶν ἰδεῖν δ', οὐδεὶς μάντις
τῶν μελλόντων, ὅ τι πράξει.

Huc pertinent versus 125 sq.:

Ὁρῶ γὰρ ἡμᾶς οὐδὲν ὄντας ἄλλο, πλὴν
εἴδωλ', ὅσοιπερ ζῶμεν ἢ κούφην σκιάν.

Welker im Rheinischen Museum erkennt im Ajaś auch einen Zug Athenäischer Vaterlandsliebe, indem durch ihn, der aus Salamis, einer von Alters her mit dem benachbarten Attika sich vielfältig berührenden Insel, stammt, den Athenern ihr Antheil am troischen Ruhme vindicirt werde, und durch das ungünstige Licht, worin er die Atriden (als Peloponnesier und Menelaus sogar als Lakedämonier), gegenüber der nach unseliger Verirrung wieder klar hervortretenden Heldengröſse und offenen Gradheit des vaterländischen Heros und gegenüber dem Edelmuthe des Teukros, erscheinen lasse, der Vorzug des humanern Athens vor Sparta angedeutet sey.

cujus quidem mores et in hac et in alia fabula, quae *Philoctetes* inscribitur, ita depinguntur, ut Periclis ejusque aequalium rationibus civitatis administrandae simillimi sint, hoc tantum discrimine intercedente, ut eadem agendi ratio in Ajace bona, in Philoctete mala exhibeatur. [1]) Nam in illa tragoedia discordiam litemque Teucrum inter et Atridas exortam ita componit, ut utramque partem communis admoneat salutis, quae, nisi in gratiam rediissent, esse non possit. Mediam igitur viam, quae est inter cupiditatem et rei publicae salutem, tenet. In hac vero fabula, quum huic ipsi saluti consulere studeat, morum integritatem postponit.

In *Antigona* autem, ut ad aliam fabulam transeamus, Haemon eosdem fere, quos in Electra Chrysothemis, mores exhibet. Nam quemadmodum haec juxta fortitudinem magnitudinemque animi, qua Electra excellit, posita humanitatem atque urbanitatem, qua non pauci hac aetate utebantur, vel maxime exprimit et ante oculos nostros ponit; ita Haemon fortasse solus in antiqua scena hunc amorem, qualem quidem existimant nostra aetate, praestat, quum apud veteres cupiditate tantum caeca contineretur; atque in eo loco, quo mortem sibi Haemon consciscit, longe aliam sexuum rationem, quam heroicis illis temporibus, intercedere videmus, quae occidentalium terrarum moribus simillima est. Antigona autem ipsa, licet tota in heroica illa virtute versetur, uno tamen versu progressus Atheniensium in humanitate factos indicat. [2]) Praeterea aliud quoque in animo poëta habuit, ut explicaret, id quod versibus infra adscriptis [3]) exprimitur. Neque minus eandem hanc

---

[1]) A. W. v. Schlegel I, p. 132: Der Uebermuth, wodurch Ajax mit entehrendem Wahnsinne gestraft worden, hat er durch die tiefe Scham, die ihn bis zum Selbstmorde treibt, abgebüfst. Weiter darf die Verfolgung des Unglücklichen nicht gehen; und da man noch seine Leiche durch verweigerte Bestattung schmähen will, tritt Ulysses ins Mittel, eben der, welchen Ajax für seinen Todfeind gehalten, und welchem Pallas in der grausenerregenden Eingangsscene an dem Beispiele des verwirrten Ajax die Nichtigkeit des Menschengeschlechtes gezeigt hat: er erscheint gleichsam als die personificirte Mäfsigung, welche den Ajax, wenn er sie besessen hätte, vor seinem Falle bewahrt haben würde.

[2]) Antig. v. 519:

οὔτοι ξυνέχθειν, ἀλλὰ συμφιλεῖν ἔφυν.

[3]) Antig. v. 922 sqq.:

τι χρή με την δύστηνον ἐς θεοὺς ἔτι
βλέπειν; τίν' αὐδᾷν ξυμμάχων; ἐπεί γε δὴ
τὴν δυσσέβειαν εὐσεβοῦσ' ἐκτησάμην.
ἀλλ', εἰ μεν οὖν τάδ' ἐστιν ἐν θεοῖς καλά,
παθόντες ἂν ξυγγνοῖμεν ἡμαρτηκότες.

sententiam in fine tragoediae expressam legimus, ubi aperte Athenienses admonet, quum nuper civitatem et legibus constitutam et potestate gloriaque auctam nacti sint, caveant, ne hac felicitate et opibus elati ad insolentiam superbiamque inclinent, unde ad perversam agendi rationem abductos sera poenitentia subeat. [1])

In his tribus igitur, quas explanavimus, tragoediis tres personas deprehendimus, Chrysothemin in Electra, Tecmessam in Ajace, Haemonem in Antigona, in quibus mutati Atheniensium mores inque melius temporum decursu exculti satis aperte exhibiti sunt; neque minus haec eadem res ex *Dejanira in Trachiniis* intelligitur, in qua consummasse poëta videtur, quod ingenio proferre posset. Iis enim moribus, ea pietate ornata est haec femina, quales dubito num quis alius scriptor in illa antiquitate exhibuerit. Nam quum amore adducta innocenti, ut putat, artificio ad retinendum maritum adhibito eum perdidisset, errore intellecto, vitam non vitalem ducens mortem sibi ipsa consciscit. In quo facto nonne summum recti sensum, summamque religionem conspicimus feminae, quae officii opinione permota ad expiandum facinus ne vitae quidem parcendum esse sibi videretur? Neque consentire possum summi ingenii viro, Aug. Guil. Schlegelio, qui adeo dissimilem hanc fabulam caeteris poëtae nostri esse arbitratur, ut dubitet, an Jophonti potius, filio Sophoclis, tribuenda sit. [2]) Quem quum bene refutarit Hermannus in praefatione ad hanc tragoediam, non est, quod plura dicam.

---

[1]) Antig. in fine:

πολλῷ τὸ φρονεῖν εὐδαιμονίας
πρῶτον ὑπάρχει· χρὴ δὲ τά γ᾽ ἐς θεοὺς
μηδὲν ἀσεπτεῖν· μεγάλοι δὲ λόγοι
μεγάλας πληγὰς τῶν ὑπεραύχων
ἀποτίσαντες
γήρᾳ τὸ φρονεῖν ἐδίδαξαν.

A. W. v. Schlegel I, p. 131: Nach Vollendung der That und überstandenen Leiden dafür bleibt noch die Züchtigung des Uebermuthes zurück, welche den Untergang der Antigone rächt: nur die Zerstörung der ganzen Familie des Kreon und seine eigne Verzweiflung ist eine würdige Todenfeier für ein so kostbares Leben.

[2]) A. W. v. Schlegel I, p. 136: Die Trachinerinnen scheinen mir an Werth so weit unter den übrigen auf uns gekommenen Stücken des Sophocles zu stehen, daſs ich eine Begünstigung für die Vermuthung zu finden wünschte, diese Tragödie, zwar in demselben Zeitalter, in seiner Schule, vielleicht von seinem Sohne Jophon gedichtet, sey durch Irrthum auf seinen Namen geschoben worden.

Maxime autem in *Philocteta* praeter heroicam illam virtutem Atheniensium in humanitate progressus conspicui sunt. Nam et Philoctetes et Neoptolemus tantam liberalitatem, tantam animi magnitudinem, tantam urbanitatem praestant, ut proxime ad nostros mores accedant, unde factum est, ut haec fabula, quum in Franco-Gallorum scena sine ulla fere mutatione ederetur, ab hominibus illius aetatis, quae erat ante perturbationem istam rerum publicarum, elegantissimis eruditissimisque summo applausu exciperetur. Praeterea ad religionem quoque et rem publicam haec fabula pertinet. Nam quum res divinae et caerimoniae jam tum in ludibrium verterentur, hoc maxime poëta praecipiendum Atheniensibus esse putavit, ut eas servarent et in honore haberent. Heros ipse, qui ad nodum expediendum e coelo vocatur (vide, quae de hac re Hermannus, vir doctissimus, in praefatione ad editionem hujus fabulae facta bene loquitur), hunc populum manifesto monet de crudelitate, qua in expugnatis urbibus uti consueverint. [1])

Sed tempus est, a divino nostro poëta, cujus tragoediis omnes et superioris et nostrae aetatis homines eruditi mirifice delectantur, transire ad alium, ne justo diutius in hoc uno morati finem hujus speciminis egrediamur; *Euripidem* dico, quem, ut tempore, ita et descriptione morum, et dignitate orationis, et varietate ac vi canticorum inferiorem Aeschylo et Sophocle fuisse, facile omnes fatebuntur. Sed dolendum est, me hujusce speciminis exiguitate coactum esse praeterire *Aristophanem* illum poëtam comicum, qui, quum omnem Atheniensium vitam et humillimam et sublimissimam elegantissimamque comoediis complexus sit, morum illorum optimus nobis interpres exstitit, in quo quidem judicio omnes summi viri, vel sanctus ille Chrysostomus, consentiunt. Hunc Plato in deliciis habuit, in ejusque animo velut in sacrario Gratias sibi ipsas domicilium constituisse aliquo epigrammate prodidit. Atque hujus granditatem, vim ac dignitatem canticorum qui perspicere volet, adeat in avibus versus 209 sqq.; 685 sqq.; in nubibus versus 565 sqq. et 593 sqq.

Nemo autem, ut Creuzeri verbis utar, [2]) commovendae miserationis major

---

[1]) Phil. v. 1440 sq.:

τοῦτο δ' ἐννοεῖσθ', ὅταν
πορθῆτε γαῖαν, εὐσεβεῖν τὰ πρὸς θεούς.

[2]) In oratione saepius laudata.

artifex exstitit Euripide, [1]) qui philosophiae fructum divinaque Anaxagorae Socratisque placita in scenae actionem traduxit. [2]) Atque ut in aliis tragicis poëtis, ita in hoc cognitum est, quid sit illud: tragoedia animi purgationem perfici. Etenim quum virum magnum videmus, cum magna fortuna compositum, in ipso mortis articulo sibi constantem, neque fractum fortuna concidere animo, sed sublime spectare immobilem: nascitur in animis nostris simul cum miseratione ille sensus humanitatis, qui ab omni humilitate alienus, nosmet ipsos alte spectare docet, utpote divinitati cognatos quodammodo atque conjunctos.

Et quemadmodum Aristophanes comoedias suas ita instituit, unde omnis ratio ac disciplina appareat eluceatque ejus aetatis, quae, quum suae ipsius magnitudini excelsitatique impar esset, a summo eruditionis fastigio, in quo bona ratio, mens et consilium vigebant, ad ludum quendam argutiarum nugarumque declinare coeperat; ita hanc aetatem se ipsam admirantem facit Euripides, qui quidem, quum haud mediocri poëtica facultate esset instructus, philosophiam quoque atque eloquentiam [3]) ita adhibuit, ut neutra prosperum eventum haberet, id quod ex Aristophanis, acerrimi ejus aestimatoris, comoedia, quae Ranae inscribitur, patet. [4]) Neque vero illud hujus poëtae aestimatori obliviscendum est, homines illius aetatis, quum magna cura magnoque labore et copias et imperii gloriam sibi comparassent, iis frui voluisse; eruditionem autem et humanitatem, qua antea pauci tantummodo instructi erant, divulgatam esse, atque in communionem multorum transisse; exempla denique egregia a magnis, qui ante fuerunt, poëtis esse proposita;

---

[1]) Aristot. Poet. XIII, 10: *καὶ ὁ Εὐριπίδης, εἰ καὶ τὰ ἄλλα μὴ εὖ οἰκονομεῖ, ἀλλὰ τραγικώτατός γε τῶν ποιητῶν φαίνεται.* Ib. VI, 2: *τραγῳδία μίμησις πράξεως σπουδαίας καὶ τελέας — δι' ἐλέου καὶ φόβου περαίνουσα τὴν τῶν τοιούτων παθημάτων κάθαρσιν.*

[2]) Ob sententias multas, quas fabulis inseruit, *scenicum philosophum* eum appellaverunt. Cic. Epist. ad Fam. XVI, 8: Ego certe singulos ejus versus singula ejus testimonia puto.

[3]) Hanc rerum reginam vocat v. 802 sqq:

τί δῆτα θνητοὶ τἄλλα μὲν μαθήματα
μανθάνομεν, ὡς χρή, πάντα, καὶ μαστεύομεν,
πειθὼ δε, τὴν τύραννον ἀνθρώποις μόνην,
οὐδέν τι μᾶλλον ἐς τέλος σπουδάζομεν,
μισθοὺς διδόντες, μανθάνειν, ἵν' ᾖ ποτε
πείθειν ἅ τις βούλοιτο, τυγχάνειν θ' ἅμα.

[4]) v. 1002 — 1019.

ex quibus exemplis repetita sunt praecepta, unde, quod antea summo tantum ingenio poterat fieri, id poëtae haud ita magna indole praediti efficere potuerunt. Ars enim prior fuit praeceptis, quae nulla fuerunt, nondum invento, quod iis indigeret. Hac igitur temporis opportunitate adjuti ejusmodi poëtae multa librorum lectione, apto rerum jam tractatarum delectu ac studio diligentiaque ea vitare possunt vitia, ad quae altius assurgens ingenium, ratione doctrinaque non adjuncta, abripi solet. Unde fit, ut poëta peritus, qui quidem non plane ingenio sit destitutus, postquam et exemplis et doctorum hominum disputationibus intellectum est, quid rectum in aliquo genere, et quid vitiosum esset, ad summi poëtae, divino spiritu inflati, praestantiam nonnullis in locis accedere possit. Hoc autem inter utrumque interest, ut hic nunquam deficiat atque prolabatur, divinitatemque usque quaque exhibeat; ille saepius a divina mentis incitatione plane aberret, et aliena ineptaque proferat, [1]) id quod ex pluribus Euripidis versibus et languidis et insulsis elucet, quos Valkenarius et alii viri elegantes, quum interpolatos haberent, ejicere immerito voluerunt. Nam haec ipsa istorum versuum exilitas apud Euripidem est documento incorruptae eorum integritatis.

Quod si singulis in fabulis perquiremus, Hecubae, ut in hanc primam ingrediamur, sicut omnium fere hujus poëtae tragoediarum, illud initium est, ab Aristophane vehementer vituperatum: [2]) *Ille ego, qui* etc.; quod prologorum genus spectatores, quum historiam quandam audituri resque mirificas, non rem quandam, quae aut ad religionem, aut ad rem publicam pertineret, effictam explicatamque, contemplaturi theatrum frequentarent, quo res faciliorem haberet intellectum, esse voluerunt. Praeterea, quum in duas partes continuas tota fabula divisa sit, in Polyxenae mortem et Polymestoris poenam, altera plane oratoria est et in causa forensi versari videtur, qua in re Atheniensibus, qui ab hoc inde tempore usque

[1]) Cic. de Div. I, 37: Atque illa concitatio declarat vim in animis esse divinam: negat enim sine furore Democritus quemquam poëtam magnum esse posse; quod idem dicit Plato in Phaedr. p. 245: *Τρίτη δὲ ἀπὸ Μουσῶν κατοκωχή τε καὶ μανία λαβοῦσα ἁπαλὴν καὶ ἄβατον ψυχὴν ἐγείρουσα καὶ ἐκβακχεύουσα κατά τε ᾠδὰς καὶ τὴν ἄλλην ποίησιν μυρία τῶν παλαιῶν ἔργα κοσμοῦσα τοὺς ἐπιγιγνομένους παιδεύει. ὃς δ' ἂν ἄνευ μανίας Μουσῶν ἐπὶ ποιητικὰς θύρας ἀφίκηται, πεισθεὶς ὡς ἄρα ἐκ τέχνης ἱκανὸς ποιητὴς ἐσόμενος, ἀτελὴς αὐτός τε καὶ ἡ ποίησις ὑπὸ τῆς τῶν μαινομένων ἡ τοῦ σωφρονοῦντος ἠφανίσθη.* cf. Horat. Ep. ad Pis. 295 sqq.

[2]) Ran. v. 946.

ad libertatem amissam disceptationibus, accusationibus rebusque judiciariis valde delectabantur, id quod iis saepissime Demosthenes in orationibus Philippicis, Olynthiacis et aliis crimini dedit, gratificatus est. Ac priusquam justum exerceetur judicium, Ulysses verissimum nobis patronum, sophistam et sycophantam repraesentat, qui multi hac aetate Athenis esse coeperunt. In altera autem parte ipsum tribunal in scena constituitur, unde Athenienses contradicentes sibi invicem disceptantesque personas audiverunt. Nam Agamemnon judicium exercet, Hecuba vero et Polymestor causam dicunt. Horum autem orationes totae in praeceptis ex morum doctrina et philosophia repetitis versantur, quae, quum versibus inclusae essent, eo facilius memoriae mandari recitarique potuerunt. Neque Chorus nec in hac nec in ceteris poetae nostri fabulis refertus est gravissimis istis, quibus apud priores poëtas, sententiis imaginibusque, ex prisca aetate desumtis, sed levibus quibusdam facilibusque locis, quales quidem sunt apud Cyclicos illos et Lyricos poëtas, quos supra commemoravimus, ex quibus inprimis Euripides multa repetivit. Haec autem omnia unusquisque, etsi haud ita doctus et eruditus, mente consequi potuit. Neque vero poëta noster chorum, ni fallor, recte instituere, dignitatemque et gravitatem ei addere potuit, quod ipse destitutus erat pietate animi, qua Aeschylus et inprimis Sophocles insignes fuerunt. Etenim nemo, nisi qui summa pietate imbutus est, chorum fingere potest, officia explentem, quae Horatius [1]) praecipit. Sed ut ad fabulam nostram redeamus, memorandi sunt duo loci, quorum alter [2])

---

[1]) Epist. ad Pis. v. 196 sqq.:

Ille bonis faveatque, et consilietur amice,
Et regat iratos, et amet peccare timentes:
Ille dapes laudet mensae brevis; ille salubrem
Justitiam legesque et apertis otia portis;
Ille tegat commissa; Deosque precetur et oret,
Ut redeat miseris, abeat fortuna superbis.

Wachsmuth in libro supra laudato, tom. II, p. 419: Der Verfall des Chors, die Entlehnung des Chores aus älteren Stücken, Erscheinungen, die sich seit Ende des Peloponnesischen Krieges darbieten, sind nicht minder aus dem politischen Herabsinken Athens, als aus der Veränderung des Sinnes der Dichter zu erklären.

[2]) 1181 sqq:

ἀλλ᾽, ὦ κάκιστε, πρῶτον, οὔποτ᾽ ἂν φίλον
τὸ βάρβαρον γένοιτ᾽ ἂν Ἕλλησιν γένος,
οὔτ᾽ ἂν δύναιτο.

maximam Graecorum a barbaris disjunctionem et dissimilitudinem, alter [1]) cum hanc, tum religionem inprimis fidemque Graecorum in hospitibus tuendis significat. Praeterea vindictae studium, quod supra, quum de Aeschyli Eumenidibus diximus, a Graecorum humanitate alienum esse Minerva docuerat, aspernatus Agamemnon justitiam valere apud Graecos debere ostendit. [2])

Magis etiam, quam ex hac tragoedia, quantum pristina gravitas et magnitudo imminuta sit, intelligi potest ex alia fabula, quae *Orestes* inscribitur, in qua hoc maxime memoratu dignum est, illud fabularum genus, quod nos *Schauspiel* dicimus, significari. Oresti enim, summis ab initio furiarum cruciatibus agitato, bene omnia sub finem eveniunt. Quod licet apud Sophoclem quoque in Philocteto fiat, hoc tamen discrimen intercedit, ut hic usque ad finem vexetur malis, ille aliquamdiu tantum iis obnoxius sit. Deinde haec quoque tragoedia magnam partem in judicio forensi, Oreste et Tyndareo, Clytemnestrae patre, inter se litigantibus, versatur, atque ita versatur, ut perquam solemniter illud judicium ad oblectandos Athenienses instituatur. Quid? nuntius ipse, qui certiorem facit Electram, et ipsam et fratrem suum esse damnatos, in narranda judicii ratione mirum in modum diutissime commoratur, atque commemoratis et praeconis et singularum partium orationibus, rerumque, quae ad rem publicam pertinent, consideratione adhibita, ne interrogatione testium quidem supersedet.

Praeterea cum ex aliis pluribus, tum maxime ex versu in notis ad-

---

[1]) 1229 sqq.:

τάχ' οὖν παρ' ὑμῖν ῥᾴδιον ξενοκτονεῖν,
ἡμῖν δε γ' αἰσχρὸν τοῖσιν Ἕλλησιν τόδε.

[2]) 1107 sqq.:

Πο. σήμηνον εἰπὲ ποῦ 'σθ', ἵν' ἁρπάσας χεροῖν
διασπάσωμαι καὶ καθαιμάξω χρόα.
Αγ. οὗτος, τί πάσχεις; Πο. πρὸς θεῶν σε λίσσομαι
μέθες μ' ἐφεῖναι τῇδε μαργῶσαν χέρα.
Αγ. ἴσχ'· ἐκβαλὼν δὲ καρδίας τὸ βάρβαρον
λεγ', ὡς ἀκούσας σοῦ τε, τῆσδέ τ' ἐν μέρει,
κρίνω δικαίως, ἀνθ' ὅτου πάσχεις τάδε. cf. v. 328 sqq.

scripto [1]) cognoscitur, quam perperam homines hujus aetatis de natura non tragoediae solum, sed religionis quoque communis judicaverint, et istam contra omnia disserendi rationem, ut in scriptis, ita in scena exhibuerint. Quam ob causam, quum Euripides in fabula deperdita dixisset: *„τί ἐστι Ζεύς; αἰθὴρ ὁ Ζεύς“*, Aristophanes in Ranis v. 882 sqq. irrisione eum castigans precantem facit:

αἰθὴρ ἐμὸν βόσκημα, καὶ γλώσσης στρόφιγξ,
ξύνεσίς τε, καὶ μυκτῆρες ὀσφραντήριοι,
ὀρθῶς μ᾽ ἐλέγχειν, ὧν ἂν ἅπτωμαι λόγων.

His autem atque ejusmodi dictis, quum pietatem erga deos fidemque in rebus divinis subverti, easque virtutes aut superstitionem aut omnino impietatem subire necesse esset, Atheniensium populus, qui jam per se a vera via deflexerat, quam depravatus sit, quis est, qui non videat? Quae depravatio pietatis atque fidei ex alia quoque re intelligi posse videtur. Nam Aeschylus, quod arcana Eleusinia prodidisset, impietatis accusatus est; Euripidem autem, etsi religionem popularem aperte illudit, in jus vocatum esse, nullo loco legimus. Unde conjicitur, parvam rerum divinarum ac paene nullam curam ejus aetate fuisse. Neque objici potest accusatio in Socratem instituta, in qua quidem, violatam esse religionem popularem, simulabant, re autem vera privatum odium inimicitiaque valuit. Posteris autem temporibus, quum pietatem abjecissent homines, et de rebus divinis multum dubitare coepissent, ejusmodi loci, quales ex Euripide commemoravi, apud Plutarchum, Lucianum, Athenagoram et alios scriptores saepissime leguntur. Quamquam docti quidam hanc ipsam laudem Euripidi tribuunt, quod hac deorum dubi-

---

[1]) Orest. v. 412:

δουλεύομαι θεοῖς, ὅτι ποτ᾽ εἰσὶν οἱ θεοί.

Huc pertinet versus 1264 in Hercule Fur.

Ζεὺς, ὅστις ὁ Ζεὺς, πολέμιόν μ᾽ ἐγείνατο.

Nuper quoque Eduardus Mueller in dissertatione, quae inscribitur: *Euripides deorum popularium contemtor*, vehementer in Euripidem hanc ob causam invectus est. Is pag. 17 haec scribit: Nimirum maluit poeta sententiolis in elegantiorum hominum usum et captum inspersis, quantum sapiat, docere; quam sapientiam eo clarius elucere sibi persuadebat, quo futiliora et ineptiora e sententia vulgi traderet, quam e notionibus sanis atque veris, quae, sordibus abstersis, e persuasione popularium de diis essent petitae, drama continuum nullaque repugnantia interna laborans construere, artificiosi operis nomine dignum. V. Kritische Bibliothek für das Schul- und Unterrichtswesen, dritter Jahrgang, Novemb. 1830. Nro. 142.

tatione aliisque sententiis ex philosophia Anaxagorae Socratisque sumtis, unum deum esse significaverit. Nec denique minus illud vituperandum esse videtur, magnam vitae humilitatem pravitatemque, a tragoedia alienissimam, in hac fabula deprehendi. Menelai enim mores tam abjecti finguntur, ut dubitem, num tabernario Atheniensi talem mentem animumque praestare licuerit. Quam ob causam, quum ad res minutas et domesticas, easdemque turpes Melpomenen detrusisset, male audivit Euripides. [1])

Magis etiam, quantum inter Aeschyli et Euripidis aetates intercedat discrimen, collatis inter se duabus tragoediis, *septem adversus Thebas* et *Phoenissis*, intelliges. Omissis enim iis, quae supra, comparatione utriusque fabulae alia de re instituta, dicta sunt, hoc notatu dignum est, quod in Aeschyli tragoedia vix sermo de feminis est; Euripides autem, etsi infestissimus est huic generi, et ubique male de eo dicit, [2]) initium tamen cum femina facit, Jocasta prologum recitante, item ad feminas transit, choro e feminis, Phoenissis, composito. Deinde in privati potissimum hominis, Menoeci sorte, versatur, ita ut tota res ad Creontem familiamque ejus, non ad patriam remque publicam pertinere videatur. Atque adeo res tantummodo privatas tractat, ut, ubi Creontem cum suis non respiciat, animum ad Jocastam filiasque ejus, non ad civitatem convertat. Quod autem Euripides tota fabularum descriptione agendique singularum personarum ratione indicat, id multis post annis Demosthenes ille orator summus aperte civibus suis objicit, suum quemque curare, non rei publicae commodum, unde factum sit, ut res Atheniensium pessime sese haberent (cf. Olynth. III., §. 25 et 26). Praeterea prius Phoenissarum dimidium paene totum ex sententiis, atque ex iis maxime sententiis, quae *ἐπύλλια* Aristophanes facete vocat, acumen quoddam continentibus, constat. Neque vero controversia judicaria abest. Nam Polynices et Eteocles inter se non fortium virorum, sed sophistarum

---

[1]) Aristoph. Ran. v. 1002 — 1019. — Scholiasta ad hanc fabulam haec: *τὸ δρᾶμα τῶν ἐπὶ σκηνῆς εὐδοκιμούντων, χείριστον δὲ τοῖς ἤθεσι. πλὴν γὰρ Πυλάδου πάντες φαῦλοι ἦσαν.*

[2]) Phoen. v. 205:

φιλόψογον δέ χρῆμα θηλειῶν ἔφυ,
σμικρὰς δ' ἀφορμὰς ἢν λάβωσι τῶν λόγων,
πλείους ἐπεισφέρουσιν· ἡδονὴ δέ τις
γυναιξί, μηδὲν ὑγιὲς ἀλλήλας λέγειν.

Ad hos autem vulgares futilesque versus a summa orationis sententiarumque sublimitate, qua Antigone paulo ante utitur, descendit. cf. Hecub v. 1160 sqq.

ritu altercantur, qua in altercatione poëta omni, qua aetas ejus valebat, et eloquentia, et subtilitate, et lepore usus est. In fratrum enim orationibus exordium, tractationem, partitiones, et conclusionem rite institutam facile cognoscimus. Quas orationes longiores quasi ludus quidam acute salseque dictorum sequitur, quum versibus se invicem excipientibus sententiisque alternis fratres pugnent, atque, ut cumulus huic certamini quasi gladiatorio addatur, dimidiatis versibus (612 — 632) altercentur. Male igitur Seneca fecit, ut hanc Euripidis rationem imitaretur, id quod ex Valkenarii Phoenissarum editione apparet, in qua vir ille doctissimus, quidquid ex Euripide Seneca sumsisse ipsi videbatur, adnotavit. Quo in loco hoc commemorandum jure esse videtur, Euripidem, quum aetate floreret exculta humanitate et eruditione, nusquam adeo excessisse modum, ut ad orationem prorsus vanam omnique vi destitutam laberetur, quod in Seneca jure meritoque reprehenditur, cujus oratio saepe inanis verborum sonitus est.

In *Medea*, quae fabula ex antiquissimis illis temporibus, quibus Graecia aeque atque Asia summa barbarici caligine contristata jacebat, desumta est, etiam magis discrimen inter Euripidis aetatem, et eam, quae paulo ante transacta erat, elucet. Tota enim tragoedia in rebus versatur privatis, nulla prorsus ratione rei publicae habita. Quid? Jason privatis tantummodo commodis ductus matrimonium init, Medea autem nonnisi caecae suae cupidini servit, neque fere ullum in ea heroicae illius magnitudinis vestigium cernitur. [1])

Sed longum est, omnes perscrutari Euripidis fabulas, ac satis multa verba fecisse mihi videor ad intelligendum, quantopere hic poëta tragicus ab iis, qui antecesserant, distaret. Neque vero ea, quae dixi de illo, ita intelligi volo, ut

---

[1]) A. W. v. Schlegel I, p. 173: Der Eingang der Medea ist vortrefflich; ihre verzweiflungsvolle Lage wird durch die Gespräche ihrer Amme, des Pflegers ihrer Kinder, und ihre eignen Wehklagen hinter der Scene zerreißend angekündigt. Sobald sie hervortritt, hat der Dichter Sorge getragen, durch viele allgemeine und gemeine Betrachtungen, die er ihr in den Mund gelegt, uns abzukühlen. Noch kleiner erscheint sie in der Scene mit dem Aegeus, wo sie, im Begriffe, an Jason eine furchtbare Rache zu nehmen, sich erst einen Zufluchtsort sichert, ja es fehlt nicht viel, eine neue Verbindung bevorwortet. Das ist nicht die kühne Verbrecherinn, welche die Naturkräfte zum Dienste ihrer wilden Leidenschaften sich unterworfen hat, und wie ein verheerendes Meteor von Land zu Land forteilt; jene Medea, die, von aller Welt verlassen, sich selbst noch genügen kann. Nur Gefälligkeit gegen die athenischen Alterthümer konnte den Euripides zu diesem frostigen Einschiebsel vermögen.

contendam, bonis cum poetis adnumerandum non esse. Quamquam inter omnes satis constat, eum nec simplicitate, nec gravitate, neque sanctitate superiores illos aequare. Quid? Nonne vel aequissimo aestimatori, licet caeteris hujus poëtae virtutibus captus sit, hoc tamen confitendum est, multa in ejus tragoediis inesse inepta, multa vulgaria, atque adeo obscoena non pauca, quae ad voluptates alliciant? Quod postremum jam veteres in eo vituperarunt. Nam ut unum tantummodo exemplum afferam, quis est, qui non aegre ferat, Hecubam, ut Agamemnonem ad poenam a Polymestore expetendam sibi conciliet, in mentem fusius ei revocare amoris fructum, quem pellex Cassandra filia praebeat (Hecub. 814—820)? Quae etsi ex nostro sensu judicanda non sunt, quum multa hujus generis veteres scripserint, quae recentiorum humanitas et elegantia morum exhorrescat (cf. Wachsmuth in libro laudato, II, p. 44), tamen pudorem et Aeschylus et Sophocles ita servarunt, ut nusquam diutius in ejusmodi rebus commorarentur. Quibus ex causis contenderim, multo majorem adolescentes ex Aeschyli Sophoclisque lectione, quam Euripidis, percipere utilitatem. Sed haec aliena ab hac disputatione sunt, quippe quae in hac potissimum re versetur, ut appareat, qua quisque ex his tribus poetis Graecorum tragicis ratione aetatem suam depinxerit. Quam disputationem inchoatam tantum, non perfectam esse, sane intelligo. Neque mihi in animo esse potuit, perfecti aliquid omnibusque numeris absoluti in hac rei difficultate afferre, id quod nec mediocritas ingenii mei atque doctrinae, nec hujuscemodi speciminis ratio, nec denique tempus ipsum mihi, multis negotiis et publicis et privatis districto, concessit. —

Sonst hat er die mächtige Zauberin, und das in den Verhältnissen ihres Geschlechtes schwache Weib in derselben Person ergreifend geschildert. Auf das innigste rühren die Anwandlungen mütterlicher Zärtlichkeit mitten unter den Zurüstungen zu der grausamen That. Nur kündigt sie ihr Vorhaben zu frühzeitig und zu bestimmt an, statt es blos als verworrene schwarze Ahndung zu hegen. Als sie es vollbringt, scheint der Trieb der Rache an Jason durch den schmählichen Tod seiner jungen Gemahlin und ihres Vaters schon befriedigt seyn zu müssen, und der neue Beweggrund, nämlich Jason würde die Kinder unfehlbar umbringen wollen, und sie müsse ihm vorbeugen, hält die Prüfung nicht aus. Denn wie sie die Leichen auf ihrem Drachenwagen entführt, hätte sie auch die lebenden Kinder zugleich mit sich retten können. Doch läfst sich diefs vielleicht durch die Verwirrung des Gemüthes, worein das vollbrachte Verbrechen sie stürzt, rechtfertigen.

Errata.

Pag. 5. lin. 20 leg. *Tyrtaeo.* P. 6. lin. 7. leg. *Κράτει.* P. 10. Not. 1. v. 2. leg. *μιαιφόνου.* P. 12. lin. 1. leg. *Atossae.* Pag. 13. lin. 6. leg. *cuidam.* Pag. 18. lin. 14. leg. *perpessus.* Pag. 20. lin. 3. leg. *effossis.*